

mera, docet Barbosa in Comm. ad cap. 18. sess. 24. de Ref. in Trid. 3°. Cum prævideantur rixæ et contentiones in concursu: ita Trid. loco cit. 4°. Quando de facto nullus comparuit qui subire voluerit examen per concursum. Hoc in casu vero, ceu resolutum a S. Congregatione Concilii fuisse refert Garcias de Beneficiis p. 4. c. 2. n. 218., novum experimentum faciendum est, et Episcopus novum edictum publicare debet, definiendo tempus utile et peremptorium ad subeundum examen. Quod si nemo hac secunda vice comparuerit, poterit Episcopus parœciam conferre absque concursu. In hisce tribus posterioribus casibus juxta Tridentinum in citato loco Episcopus pro sua conscientia et de examinatorum consilio, omisso concursu, poterit adhibere privatam examen personæ quam intendit parœciæ præficere.

73. Adnotanda vero sunt verba Tridentini in hoc eod. cap. 18. ubi post latam legem concursus et exceptiones decernit, 'alias provisiones seu institutiones præter supradictam formam factas subreptitias censi, non obstantibus huic decreto exemptionibus, indultis, privilegiis, præventionibus . . . et aliis impedimentis quibuscumque'. Plura sunt in decreto explicanda: 1°. Decernit Concilium provisiones alias præter exceptas, si fiant absque concursu, habendas esse ceu subreptitias. In hac dispositione respicit præsertim concessionem beneficiorum curatorum factas a Sede Apostolica. Qua in specie hic est sensus verborum Tridentini, ut videlicet, si in rescripto et in Bulla provisionis beneficii mentio non fiat derogationis et dispensationis a lege examinis per concursum, rescriptum et provisio non valeat, quia præsumitur Romanum Pontificem ignorasse beneficium a se concessum exigere examen per concursum.

74. 2°. 'Non obstantibus indultis et privilegiis'. Quibus verbis Tridentinum abrogavit omnia privilegia et indulta præcedentia. Hinc ad excludendam legem examinis per concursum afferri nequeunt privilegia, et indulta concessa ante Tridentinum Concilium. At hoc ipso non prohibuit Concilium, quominus Romanus Pontifex privilegia concedat exemptionis a lege concursus, ceu fecit S. Pius V. quoad parœcias unitas monasteriis et præsertim mendicantium in citata Const. Ad exequendum § 5.

75. 3°. 'Non obstantibus impedimentis quibuscumque'. Quibus verbis Concilium abolevit quascumque consuetudines præcedentes. At non ideo excluditur, posse introduci novas consuetudines de-

creto conciliari contrarias. Nam contra leges generales Conciliorum legitima exurgere potest consuetudo. Jam vero quod possit dari consuetudo legitima contra dictum decretum eruitur ex modo loquendi ipsius Concilii. Nam licet intentionem propriam Patres manifestent, et inculcent, ut servetur forma concursus, rejiciantque provisiones aliter factas nec privilegia et quodcumque impedimentum non attendant; tamen contrariam consuetudinem neque vocant corruptelam, nec expresse prohibent, quominus introducat. Alterutrum vero facere debuissent, ut in sensu canonum futuram interdicent consuetudinem. Dicimus ergo contra decretum Tridentinum posse constitui consuetudinem saltem immemoriam vel centenariam, dummodo ex circumstantiis peculiaribus loci abusum non secumferat.

De pluralitate et incompatibilitate Beneficiorum.

76. Antiquitus omnia beneficia erant incompatibilia, idest quisque Clericus unum solummodo beneficium ecclesiasticum possidere poterat. Beneficium enim personale officium requirebat in Ecclesia proprii tituli et a qua clericus sustentabatur honeste, nec poterat aliquis in pluribus Ecclesiis beneficia possidere; in eadem vero Ecclesia absonum erat bis eundem clericum adscribi, seu bis intitulari.

77. Pluralitas ergo beneficiorum inducta est cum primum cœperunt institui beneficia insufficientia ad honestam vitæ sustentationem clerico comparandam. Et processu temporis divisa sunt beneficia in compatibilia et incompatibilia. Incompatibilia ratione officii ea habita sunt, quæ personalem residentiam requirunt; ratione vero reddituum incompatibilia dicta sunt ea beneficia, quorum singula honestam exhibent unicuique clerico sustentationem.

78. Licet vero canones prohiberent pluralitatem beneficiorum, tamen agnoverunt adesse posse causas ob quas idem clericus plura beneficia adipisceretur. Hinc in cap. 5. h. t. interdicitur solum possessio simultanea plurium Ecclesiarum, et in c. 28. h. t. traditur, vacare primum beneficium curatum aut personatum per assumptionem alterius similis beneficii, et si clericus præsumperit utrumque retinere, privandum esse etiam secundo. Nihil ergo de beneficiis inferioribus. Hinc in c. 7. de Rescr. in 6°. exhibetur hæc conditio: *Si talia sint beneficia quæ nequeant simul de jure*

retineri. Ex quibus verbis patet, esse posse beneficia quorum plura possint simul retineri. Idem etiam legitur in Tridentino *sess. 7. c. 4. de Ref.* ubi Concilium ait: 'Plura curata vel alias incompatibilia beneficia'. Supponit ergo dari beneficia, quæ non sunt incompatibilia. — Si quæretur autem quænam in specie fuerint, et sint beneficia incompatibilia, respondemus: Jure vetere videntur fuisse incompatibiles duas simul dignitates, duos personatus, duo officia aut duo simul beneficia curata; *capp. 13. et 28. h. t.* Hinc in *Extrav. Execrabilis 4. inter comm. h. t.* dum absolute prohibentur plures personatus, dignitates etc., clerico conceditur facultas possidendi unum beneficium duplex et aliud simplex.

79. Jure autem Tridentino habemus duplicem dispositionem, scilicet unam in *c. 2. sess. 7. de Ref.* et aliam in *c. 17. sess. 24. de Ref.* In 1° loco decernit Concilium imposibilitatem duarum Ecclesiarum Cathedralium. In 2° vero legem constituit ut quisque clericus unum tantum beneficium possideat sufficiens ad honestam vitæ sustentationem. Quodsi beneficium, quod possidet Clericus, huic scopo non satisfiat, concedit Concilium facultatem et aliud beneficium quod sit simplex adjungendi dummodo vero utrumque non requirat personalem residentiam. Ex quibus inferimus incompatibilitatem post Tridentinum Concilium exurgere ex onere residentiæ, ex sufficientia beneficii et ex numero beneficiorum. Hinc sunt incompatibilia in eadem persona 1° duo beneficia quando utrumque est residentiale. 2°. Quando licet non utrumque sit residentiale, tamen unum ex iis sufficiat pro honesta clerici sustentatione. Hæc vero incompatibilitas locum habet, quamvis unum beneficium detur clerico in titulum, aliud in commendam. Commenda enim hodierno jure, ut vidimus, titulo æquiparatur: quia commendatarius hodie ceu verus beneficiarius fructus beneficii commendati percipit. 3°. Si duo possideantur a Clerico beneficia quæ simul juncta non tribuant eidem necessaria ad honeste vivendum, tertium beneficium eidem non potest conferri. Nam Tridentinum concessit solummodo ut beneficio insufficienti aliud adderetur. Nec proficit Clerico conditio quod nempe tria beneficia possideat non sub eodem tecto, idest in eadem Ecclesia, nec alia conditio proficit, quod nempe beneficia sint juris patronatus laicalis. Proposito enim dubio 'An ab Episcopo absque dispensatione apostolica possit permitti retentio trium beneficiorum simplicium de jure patronatus laicorum sub eodem tecto non existentium et quorum reditus non

sufficiant ad congruam sustentationem', S. Congregatio Concilii in causa *Cursolensi 13. Maji 1651* respondit 'Episcopum permittere non posse'. Ita etiam respondit in *Alexana 14. Nov. 1654* et in *Aquilana 14. Augusti 1632.* Conf. Bened. XIV. *Inst. Eccl. 91.*

80. Quod vero de beneficiis ecclesiasticis dictum est non potest applicari legatis piis et capellaniis de jure patronatus laicorum. Ita tenuit S. Congr. Concilii in causa *Bitectensi 6. Dec. 1721,* quæ resolutio refertur a Benedicto XIV. in cit. *Inst. 91. n. 8.* Ratio est: quia lex tridentina in casu est odiosa, ac proinde non comprehendit capellanas, quæ cum habeant nomen proprium, stricto sensu non veniunt sub appellatione beneficiorum ecclesiasticorum.

81. Quandonam autem beneficium debeat censi sufficiens, in jure non determinatur. Hinc arbitrio prudenti judicis definiendum est, qui in hac re decernenda respicere præsertim debet ad qualitates et condiciones peculiare temporum, locorum et personarum. Variæ enim exigentiæ exurgunt pro harum conditionum varietate.

82. Quæritur quodnam sit remedium juris contra clericum habentem plura beneficia incompatibilia. In Decretalibus triplicem dispositionem habemus. Binæ dispositiones sunt Alexandri III.; prima quidem relata in *capp. 7. et 14. h. t.,* alia refertur in *c. 3. de Clericis non resid.* Tertia vero est Innoc. III. in *c. 28. h. t.* — Prima dispositio Alexandri III. refertur ad tempus antierius Conc. Lateranensi III. *a. 1079* et in eo consistit, ut Clerico possidenti duo beneficia incompatibilia daretur optio eligendi quod voluisset, altero relicto. Hæc dispositio cessasse videtur per aliam dispositionem quæ secundo loco lata fuit. Attamen DD. retinent præfatam optionem hodie etiam absolute loquendo locum habere posse, videlicet in casu quo eidem Clerico duo simul conferantur beneficia incompatibilia, et quorum simul possessionem capiat. Ratio est; quia canones loquentes de vacatione vel primi beneficii vel posterioris, loquuntur semper de successiva collatione et possessione beneficiorum, non autem de simultanea: unde hic casus simultaneæ collationis et possessionis est a sanctione canonica extraneus. Ita Fagnanus *comm. ad c. 7. h. t. Pirrhing et Reiffenstuel h. t.*

83. Secunda dispositio Alexandri III. in Conc. Lateranensi III. refertur in *c. 3. De clericis non residentibus.* Juxta hanc dispositionem, si clerico possidenti beneficium aliud beneficium incom-

patibile conferatur, collatio hujus secundi beneficii nulla est, et collator pro ea vice privatur jure collationis ejusdem beneficii.

84. Hæc dispositio cessasse dicenda est virtute novæ dispositionis Innocentii III. in Concilio Later. IV. quæ refertur in *c. 28. h. t.* quæ in eo consistit, ut, posito quod Clericus beneficium possidens aliud acceptet beneficium incompatible, teneatur primum dimittere. Quod si contenderit in utriusque possessione remanere, utroque sit privandus. Ratio quam decreti sui affert Innocentius est, quia dispositio Conc. Later. III. ad praxim non reducebatur. Verum etiam alia ratio canonica adduci potest. In Ecclesia receptum est, ut quando Clericus optime fuerit versatus in aliquo officio, possit optare ascensum ad officium superius: unde in regimine ecclesiastico juxta sensum canonum locum habet gradualis ascensio. Jam vero dispositio Conc. Later. III. obviabat huic gradualis ascensioni, nam statuebat nullius valoris esse collationem secundi beneficii incompatibilis. Porro juxta ordinarium agendi modum beneficium quod posterius conceditur, et acceptatur solet esse gradus superioris. Innocentius autem III. *c. 28. h. t.* statuit dimittendum esse anterius beneficium, quod nempe solet esse gradus inferioris et per consequens hæc dispositio magis respondet gradualis ascensioni clericorum, quæ a canonibus intenditur.

85. Accedit dispositio tridentina in *capp. 2. et 4. sess. 7. de Ref.* ex qua deprehendimus vacare ipso jure prius beneficium per collationem et pacificam possessionem alterius beneficii incompatibilis. Dixi *pacificam possessionem*. Nam non sufficit simplex collatio alterius beneficii. Canones enim prohibentes pluralitatem beneficiorum, loquuntur de detentione beneficiorum. Non detinetur autem beneficium ante pacificam possessionem. Facit ad rem *c. 26. h. t. in VI.* Hæc autem dispositio tridentina non solum sese refert ad duas Ecclesias sive parochiales sive Cathedrales, ad duas dignitates, personatus, aut officia, sed etiam ad omnia beneficia incompatible juxta sensum ab iisdem patribus tridentinis in aliis locis expositum. Unde ex variis resolutionibus S. Congregationis Concilii relatis a Fagnano in *cap. 28. h. t. nn. 3. et 4.* vacatio beneficii prioris nedum in casu duorum beneficiorum parochialium etc. verificatur, sed etiam in casu beneficiorum simplicium sive quæ residentiam importent, sive quæ sint singula per se sufficientia.

86. Quid vero dicendum si clerico possidenti beneficium sufficiens conferatur aliud beneficium non sufficiens? Dicendum est, vacare primum beneficium, et Fagnanus *comm. in c. Jam dudum h. t. nn. 43. et 49.* refert S. Congr. Conc. pluries resolvisse in præfato sensu quæstiones. Conf. *Pirhing h. t. n. 186.* Quid vero si clerico habenti non sufficiens beneficium conferatur sufficiens? Fagnanus loco citato refert hanc quæstionem fuisse propositam in S. Congr. Conc. sed non fuisse resolutam, suffragiis Cardinalium in diversa vergentibus; ipse vero *n. 57.* et Reiffenstuel *h. t. n. 298.* tenent, non verificari in casu sanctionem tridentinam.

87. Quid si clerico possidenti duo beneficia simplicia et insufficientia, tertium beneficium conferatur? S. Congr. Conc. cujus resolutio refertur a Garcia *de benef. p. 13. c. 5. n. 310.* tenuit, collationem tertii beneficii esse validam, sed si hoc tertium beneficium fuerit sufficiens vacare duo priora, sin minus, clericum provisum teneri unum ex illis dimittere, et si continuaverit possessionem amborum, utrumque beneficium uti vacans censendum esse.

88. Concedi vero potest dispensatio a Summo Pontifice super pluralitate beneficiorum et causæ dispensationis præcipue exhibentur in *c. 28. h. t.* et in *Extr. execrabilis inter Comm. h. t.* Sunt vero 1º. necessitas; cum nempe ex defectu ministrorum uni eidem clerico duo administranda et retinenda beneficia conceduntur; 2º. evidens utilitas, cum scilicet clericus prudentia sua et auctoritate prævideatur profuturus melius fore reipublicæ christianæ, si plurium beneficiorum redditibus instruat, et 3º. prærogativa honoris, et dignitatis et scientiæ *c. 28. h. t.* circa finem. In *Extr. 4. h. t. inter comm.* hæc prærogativa honoris et dignitatis pro assequendis pluribus beneficiis speciatim agnoscitur in S. R. E. Cardinalibus et in filiis Regum.

De unione, divisione et dismembratione Beneficiorum.

89. Unio definitur: Duorum vel plurium beneficiorum aut Ecclesiarum a legitimo superiore facta adnectio. Alia est perpetua, alia vero temporalis. Prior locum habet cum beneficium adnectitur beneficio absque respectu ad personam clerici possidentis utrumque beneficium.

90. Temporalis est unio, quando conjunguntur beneficia in persona clerici ita ut unio ad vitam ejusdem solummodo perseveret. Quamvis unio beneficiorum sit odiosa, quia mutat statum bene-

ficiorum ac proinde in dubio præsumenda esse videretur temporanea; tamen revera in dubio præsumitur perpetua. Nam unio temporalis quæ ad pluralitatem beneficiorum in eadem persona reducitur non solum est odiosa, sed etiam aliquando est contra jus, uti vidimus. Insuper quoniam unio hujusmodi in clerici commodum fiat, inducit suspicionem avaritiæ vel mali ambitus. E contra vero unio perpetua juri contraria non est, et fieri censetur in utilitatem ecclesiastici servitii *c. 3. h. t.*

91. Unio beneficiorum perpetua triplex est, scilicet vel unio tituli extinctiva vel unio minus principalis vel unio æque principalis. Prima species unionis locum obtinet cum ex duobus beneficiis fit unum ita, ut utriusque natura quodammodo pereat et in unum coalescat tertiumque novum beneficium ex unione resultet. Tertium hoc beneficium exurgens obtinet redditus et dotem utriusque extincti beneficii. Quoad vero jura privilegiorum et honorum assumet omnia quæ adhærebant extinctis beneficiis. Quod si jura hæc omnia simul componi non possint, novum beneficium obtinebit quod optimum est; idest jura meliora et favorabiliora; *can. Non est culpandus. Caus. 32. q. 1.*

92. Altera species unionis, quæ minus principaliter fieri dicitur, obtinet cum beneficium inferius vel Ecclesia inferior superiori accessorie unitur. Quo in casu Ecclesia superior appellatur Ecclesia matrix, inferior vero dicitur Ecclesia filialis vel filia. Per hanc unionem cessat titulus beneficii seu Ecclesiæ inferioris et habetur ceu pars alterius cui accessorie unitur. Hinc titulus servatur beneficii seu Ecclesiæ principalis, et beneficium seu Ecclesia unita sequitur naturam et vices beneficii seu Ecclesiæ principalis. At onera servanda sunt etiam beneficii minoris præstandumque est consuetum servitium. Si unio facta est duarum ecclesiarum parochialium, rector Ecclesiæ matricis si per seipsum non possit, tenetur per idoneum vicarium regere Ecclesiam filialem cui non omnes hujus Ecclesiæ redditus, sed congruam portionem adsignabit. Privilegia autem et jura Ecclesiæ vel beneficii adnexi servantur in iis, in quibus non detur oppositio cum juribus et privilegiis principalis Ecclesiæ. In casu enim oppositionis prævalent jura et privilegia Ecclesiæ majoris.

93. Tertia species unionis, quæ æque principaliter facta dicitur, locum obtinet inter duo beneficia ejusdem ordinis et per eam nullo modo immutatur natura et status alterutrius beneficii. Hinc

unio hæc dicitur subjectiva; quia beneficia perpetuo simul conjunguntur solummodo ratione subjecti seu personæ ejusdem, quæ possidet et administrat utrumque beneficium. Hinc neutra Ecclesia unita principaliter alteri servit, aut subicitur, sed titulum proprium utraque conservat et jura omnia et gradum honoris retinet perinde ac si unio effecta non fuisset. Exemplum commune hujus unionis in Episcopatibus habemus. Etenim binæ vel etiam tres Dioceses et Ecclesiæ Cathedrales solent ita uniri, ut unus idemque Episcopus præsit utrique vel tribus diocesium et Ecclesiis, sed singulæ conservant ad invicem propriam autonomiam. Harum trium unionum minus odiosa hæc tertia censetur. Etenim per eam non immutatur in substantia seu objective natura et conditio beneficiorum. Quare si in decreto unionis vel in rescripto Pontificis dubium exoriatur, et clare non exprimat species peractæ unionis, præsumenda semper est facta unio beneficiorum æque principaliter.

94. Quinam potest efficere unionem beneficiorum? Cum unio induat indolem erectionis beneficiorum, ad minus enim nova inducitur in eis subjectiva conditio, sequitur ab auctoritate ecclesiastica solum et non a laica potestate fieri posse uniones beneficiorum. In specie autem si sermo sit de Episcopatibus, eos unire potest solummodo R. Pontifex; *c. 8. De excessibus prælatorum.* Hæc enim unio inter causas majores Ecclesiæ recensetur et proinde reservatur Romano Pontifici. Potest autem R. Pontifex uniones beneficiorum perficere in universa Ecclesia *c. 2. de Præbend. in 6. et Clem. 1. § fin. ut lite pendente.* Quibus locis juris consonat Tridentinum *c. 13. sess. 24. de Ref.*

95. Episcopus vero uniones perficere potest beneficiorum propriæ dioceseos *cit. c. 8. de excessibus prælatorum*, justa tamen et legitima obveniente causa et dummodo jus canonicum non resistat. Hinc profecto ex superius dictis non potest unionem temporaneam perficere Episcopus in casu incompatibilitatis beneficiorum. Quoad vero unionem perpetuam, eam pluribus in casibus efficere nequit 1º. in beneficiis quæ episcopali administrationi non subsunt. Hinc unire non potest beneficia exempta, nec beneficia Rom. Pontifici reservata aut affecta quoadusque perseverat reservatio, aut affectio. 2º. Beneficia suæ dioceseos cum beneficiis alterius dioceseos Episcopus unire nequit. Ita Concilium Tridentinum *sess. 14. c. 9. de Ref.* 3º. Ex *c. 9. sess. 25. de Ref.* post medium, non

potest Episcopus unire beneficia liberæ collationis cum beneficiis jurispatronatus, ita ut efficiantur ejusdem naturæ; idest non potest beneficia libera per unionem vinculo necessariæ collationis subicere. Ex quo sequitur, non esse interdictam hanc unionem, si ex consensu patroni beneficium jurispatronatus efficiatur cum alio, cui unitur, liberæ collationis. 4^o. In *c. 13. sess. 24. de Ref.* prohibet Conc. Tridentinum, quominus Ecclesiæ parochiales uniantur cum præbendis Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, cum Monasteriis aut Abbatibus, sive hospitalibus, ac militiis, sive etiam cum beneficiis simplicibus. Non prohibet vero Tridentinum, imo concedit Episcopo ut parochiali Ecclesiæ inopi possit unire beneficia simplicia, dummodo non sint regularia. Insuper notandum est, Concilii decretum non prohibere unionem Ecclesiæ parochialis cum alia parochiali, quando utraque Ecclesia unienda est propter earundem paupertatem. De qua agit in *sess. 21. cap. 5. de Reform.* — 5^o. Interdicitur Episcopo, ne præbendis Ecclesiæ Cathedralis vel collegiatæ uniat beneficia regularia *c. 15. sess. 24. de Ref.* In eodem autem loco Trid. Conc. concedit Episcopo facultatem ut cum consensu capituli possit aliquot beneficia simplicia non tamen regularia unire Cathedrali Ecclesiæ vel collegiatis insignibus, quoties præbendæ adeo tenues sint quæ sustinendo decenti canonicorum gradui pro qualitatibus loci et personarum impares sint. Hinc in parte derogatum est *Clement. 2^o de Rebus Eccles. non alien.* juxta quam non potest Episcopus etiam cum consensu capituli mensæ suæ aut mensæ capituli unire beneficia, ne videatur in proprium commodum interponere suam auctoritatem.

96. Inter casus, in quibus Episcopus potest unionem beneficiorum perficere, recensenda est creatio, vel dotatio Seminarii diocesanis, de qua sermo est in *sess. 23. c. 18. de Ref.* circa medium. Hoc in loco Concilium non solum concedit Episcopo facultatem exigendi aliquam partem fructuum ab omnibus præbendis et beneficiis sive sæcularibus sive regularibus sive liberæ sive necessariæ collationis, sed etiam tribuit eidem Episcopo potestatem uniendi seu applicandi Seminario beneficia simplicia etiam non vacantia sine tamen præjudicio cultus divini aut eorum qui actu hæc beneficia possident; scilicet decretum unionis seu applicationis fieri potest cum beneficium nondum vacat, sed ita ut incipiat vires exercere post ejus vacationem. Quoniam vero Concilium antea inculcat, ut ex redditibus mensæ episcopalis et capituli et quorumcumque

beneficiorum diocesanos certa summa Seminario solvenda sit et inde proponit unionem beneficiorum simplicium, sequitur Episcopum devenire non posse ad unionem hanc perficiendam, nisi, non obstante taxæ convenientis impositione, videat necessitatem applicationis beneficiorum simplicium.

97. 'De conditionibus quæ requiruntur ut legitima sit unio beneficiorum'.

Prima conditio legitimæ unionis est, ut fiat ex rationabili causa. Agitur enim de re in jure odiosa quæ proinde legitima fieri potest solummodo ex causa rationabili *c. 33. h. t. Clem. 2. de Reb. Eccl. non alien.* et *c. 6. sess. 7. de Ref. in Tridentino* ubi Patres decernunt, uniones perpetuas subreptitias præsumi, quoties non fiant ex legitimis aut rationabilibus causis coram ordinario probandis. Causæ autem hujusmodi traduntur in *c. 33. de Præb.* per hæc verba: 'Si evidens necessitas, vel utilitas exigat, Præbendas Ecclesiæ tuæ poteris de capellis in perpetuum annectendis eisdem augmentare'. Quare actus unionis consideratur potius ceu actus necessitatis quam voluntatis. Unde exigente necessitate vel evidente utilitate, si Episcopus negligat unionem beneficiorum exsequi, potest adiri superior, qui Episcopi negligentiam suppleat. Quæ causæ nisi adsint, unio facta nulla est, etsi a Sede Apostolica facta fuerit, et unio præsumitur obtenta per obreptionem vel subreptionem ac proinde viribus caret, nisi aliter eadem Sedes Apostolica disposuerit. *Trid. loco cit. c. 6. sess. 7. de Ref.*

98. Secunda conditio unionis est, ut intimetur, et consensus exquiratur ab omnibus qui dicuntur interesse habere. Quod enim omnes tangit, debet ab omnibus probari. Et in specie id verificatur quando unio afficit beneficium jurispatronatus ceu statuit *c. 7. de donationibus*, et Concilium Tridentinum *Sess. 24. c. 15. de Ref.* Per unionem enim immutari possunt jura, et si beneficium simplex jurispatronatus uniatur alteri quod est liberæ collationis vel uniatur Seminario aut fabricæ Ecclesiæ, aut alteri loco pio, patronus amittit jus præsentandi. Consensus patroni Ecclesiastici non requiritur in hypothesis qua juxta *cap. 15. cit. sess. 24.* Episcopus Ecclesiæ Cathedrali vel collegiatæ insigni unit aliquod beneficium simplex jurispatronatus ecclesiastici. Tridentinum enim de hac unione agens patronos solummodo laicos nominat, quos audiendos esse dicit. Hinc valet regula 'inclusio unius exclusio al-

terius'. Notandum est tandem interesse habentes absque legitima causa dissentire non posse, quando unio necessaria est, et proinde a superiore compelli posse ad consentiendum, immo in casu necessitatis evidentis unionem fieri posse etiam, patrono invito.

99. Tertia conditio est ut in genere requiratur consensus Capituli Cathedralis Ecclesiae. Pertinet enim beneficiorum unio ad illam classem negotiorum quæ a prælatis fieri nequeunt ex jure absque consensu capituli. Quod jus exprimitur in *c. 7. de Donationibus* et *Clem. 2. de Reb. Eccl. non alien.* Ex qua postrema Constitutione insuper patet non requiri consensum actualis rectoris beneficii; quia ejus juribus præjudicium nullum infertur. Incipit enim unio vires habere cum vacaverit beneficium. Præterea non requiritur in unione perficienda ut defensor juris beneficii vel Ecclesiae constituatur; quia non agitur de vera alienatione jurium. Tandem ad unionem perficiendam requiritur aliqua forma judicii seu debet præcedere cognitio quædam causæ fierique aliquis processus ad causæ legitimitatem ostendendam, quem deinde subsequatur unionis decretum.

De Divisione Beneficiorum.

100. Divisio beneficii tunc fieri dicitur cum ex uno beneficio fiunt duo vel plura. Ex qua notione patet, divisionem seu sectionem beneficii non solum exhibere divisionem reddituum seu fructuum, sed etiam divisionem tituli et officii. Hinc vi divisionis ex uno duo vel plura constituuntur officia vel ministeria. Hæc notio traditur in *c. 3. de Ecclesiis ædificandis vel repar.* Divisio beneficiorum in genere est odiosa et prohibita a jure; *c. Majoribus 8. h. t.* immutat enim statum Ecclesiae.

101. Hinc nonnisi ex justa causa divisio facienda est. Causa autem hæc dici potest esse unica, si videlicet obligationibus beneficio adnexis ab una persona satisfieri nequeat. Præter vero causam, requiruntur eadem conditiones et solemnitates, quæ ad unionem perficiendam requiruntur. Conf. potest *c. 26. h. t.*

102. Peculiaris mentio facienda est de divisione Ecclesiae Parochialis, de qua sermo est in *c. 4. sess. 21. de Ref.* in Tridentino. In hoc capite duo statuuntur et in utroque conceditur facultas Episcopo procedendi cum potestate etiam Apostolicæ Sedis Delegati. Statuitur 1^a. dispositio pro casu populi nimium numerosi; 2^a. pro casu nimie distantie fidelium ab Ecclesia Parochiali. —

Quoad primum casum Episcopus cogere debet Parochum ut secum tot assumat sacerdotes, quot necessarii sunt pro utili spirituali regimine parociae et pro cultu divino rite exercendo. Quoad vero 2^{um}. casum renovat Tridentinum dispositionem *c. 3. De Ecclesiis æd.* Videlicet si talis sit locorum distantia, ut fideles præsertim hiemali tempore sine magno incommodo et difficultate non possint ad Ecclesiam accedere et percipere Sacramenta et adesse divinis officiis, potest Episcopus novam parociam instituere, etiam invito rectore seu actuali Parocho. Quare antequam nova parocia instituat, debet Episcopus exquirere consensum antiqui Parochi, qui si irrationabiliter renuerit consensum præstare, eo invito, Episcopus potest ultra procedere. Idem dicatur de aliis interesse habentibus. Sufficiens vero dos pro nova parocia assignanda erit ex fructibus Ecclesiae antiquioris, quæ retinet et conservat locum Ecclesiae principalis seu matricis. Quod si redditus Ecclesiae matricis non sufficiant huic scopo, potest Episcopus compellere populum novæ parociae ad subministrandam pastori suo congruam sustentationem vel per decimarum solutionem, vel alio modo. Tandem vero animadvertendum est, ut præsentatio novi sacerdotis reservetur illis quibus de jure competebat facultas nominandi rectorem antiquioris parociae. Confer. Fagnanus C. in *c. 3. de Eccl. æd.*

De Dismembratione Beneficiorum.

103. Dismembratio fit cum, remanente titulo beneficii et ministerio eidem proprio, pars fructuum a beneficio secernitur, et applicatur alteri beneficio vel Ecclesiae quæ tenues redditus habet. In genere dismembratio est odiosa et a jure prohibita. *capp. 20. 26. et 30. de Præb. et Rubrica tituli XII.* 'Ut beneficia eccl. diminutione conferantur'. At accedente justa causa, posse dismembrationem ab Episcopo perfici tenent DD. juxta *cap. X. h. t.* Eadem vero solemnitates requiruntur, quæ necessariae sunt pro unionibus beneficiorum perficiendis.

TITULUS VI.

De Clerico ægrotante vel debilitato.

1. Clericus ægrotans vel debilitatus in sensu tituli ille est, qui vel ob senium, vel ob infirmitatem habitualement aut permanentem defectum exequi non amplius potest munia sui beneficii, in